

University of Groningen

Specimen medicum inaugurale, de hysteria laryngea

Frima, Fokko Sijtses Reiding

IMPORTANT NOTE: You are advised to consult the publisher's version (publisher's PDF) if you wish to cite from it. Please check the document version below.

Document Version

Publisher's PDF, also known as Version of record

Publication date:
1849

[Link to publication in University of Groningen/UMCG research database](#)

Citation for published version (APA):

Frima, F. S. R. (1849). *Specimen medicum inaugurale, de hysteria laryngea*. [Thesis fully internal (DIV), University of Groningen]. [S.n.].

Copyright

Other than for strictly personal use, it is not permitted to download or to forward/distribute the text or part of it without the consent of the author(s) and/or copyright holder(s), unless the work is under an open content license (like Creative Commons).

The publication may also be distributed here under the terms of Article 25fa of the Dutch Copyright Act, indicated by the "Taverne" license. More information can be found on the University of Groningen website: <https://www.rug.nl/library/open-access/self-archiving-pure/taverne-amendment>.

Take-down policy

If you believe that this document breaches copyright please contact us providing details, and we will remove access to the work immediately and investigate your claim.

Downloaded from the University of Groningen/UMCG research database (Pure): <http://www.rug.nl/research/portal>. For technical reasons the number of authors shown on this cover page is limited to 10 maximum.

8

SPECIMEN
MEDICUM INAUGURALE,

DE

Hysteria Laryngea,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI HERMANNI PHILIPSE,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. IN FACULTATE JURIDICA PROFESSORIS ORDINARIII.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI SUBMITTIT

FOKKO SIJTSSES REIDING FRIMA,

ex pago Peize-Drenthinus.

A. D. XXII Decembris, A. MDCCCXLIX. Horâ XI.



GRONINGAE,

Apud J. B. WOLTERS, Bibliopolam.

SPECIMEN

MEDICUM INAUGURALE

Hystoriae

PATENTE SUMMO NUMERO

JACOBI HERMANNI PHILIPSE

AMPLISSIMO SENATOR ACADÉMICO COLLEGIO

IN ACADEMIA PHOBORICA

FORKO SITSSES REIDING PRIMA

A 1711

CAPIT. I.

M A T R I

OPTIMAE CARISSIMAE

SACRUM.

PLATE I.

In catalogo nobilissimi ...
ab omni tempore illustrati et examinaverunt
nullum ferunt vivens personam adnotatum, dum
diversitate simplicitatem causamque, quibus
et palam faciat, in toto statu dignum, pre-
cipue **OPTIMA** ...
compendio ac attentionem, sedam curam
perpetuamque actionem non medici redierat
quam hactenus
non incertum quod dicit, quod non
satis edunt, historiam ex parte aliam
Historiae, quam in hoc anno in hoc
tunc observare non cogit, quae ferat
vixit post hanc: hactenus species omnium
ratione hactenus, quod non
ostendunt hactenus

PLATE I.

CAPUT I.

In catalogo morborum, qui genus humanum ab omni tempore afflixerint et excruciauerint, nullum forsán inuenire possumus adnotatum, qui diuersitate symptomatum causarumque, quibus se palam faciat, majore gradu diagnosin, prognosin et curandi methodum reddat incertas, omnemque sic attentionem, sedulam curam et perspicuitatem sagacissimi imo Medici requirat, quam *Hysteria*.

Non incongruum igitur duxi, Specimen inaugurale editurus, historiam enarrare affectionis Hystericae, quam in Nosocomio nostro Academico observare mihi contigit, quae forsán inter omnes hujus morbi Proteiformis species omnium rarissime occurrit, cujusque hinc non multi offenduntur descripti casus.

Casus Hysteriae laryngeae, in Nosocomio Academico observatus.

JOHANNA POELMAN, Groningana, 24 annos nata, (tempore autem quo haec scribo, per dimidium annum nupta), in pauperiore conditione vivens, prima vice gravida quatuor mensibus, constitutionis nervosae, quae parentes infantili jam aetate amiserat, patrem nempe morbo quem ignorat, matrem Epidemiâ quae anno 1826 in hac regione saeviit, — a teneris inde per plures annos scrofulosi laboravit, a qua tamen, variis adhibitis remediis antiscrofulosis, imprimis oleo jecoris Aselli aliisque, feliciter tandem est sanata: — aliis morbis, vulgo infantiae propriis, non est correpta; et etiam dein bona sanitate gavisata est, si excipias ante quatuor annos morbum pectoris, sine dubio inflammatoriae indolis, quia tunc temporis multae Venae-sectiones fuerunt institutae; — ab illo tamen morbo in hocce Nosocomio sanata est: — uno abhinc

anno eadem affectio iterum felici successu tractata est. Praeterea ultimis annis laboravit paroxysmis hystericis, a terrore, uti narrat, exortis.

Die quinto mensis Februarii anni 1849 aegrotari incepit. tuncque auxilium rogavit unius e Medicis, quibus in hac urbe pauperum curatio est mandata, querelas tunc faciens de dolore pectoris, cum tussi sicca et voce rauca; quamobrem Medicus venaesectionem institui jussit, et potionem nitrosam praescrispsit.

Vespertino tempore ejusdem diei conditio aegrotae non melior evaserat, ita ut venaesectio fuerit repetita, et cataplasmata calida ad pectus et ad collum applicata. Die sexto Februarii tempore matutino, aegrota habuerat paroxysmum hystericum; et symptomata morbi non erant imminuta, sed quidem pejora; quare illo die bis iterum vena fuit secta, et potio cum tartaro stibiato praescrispta.

Invita tamen illa adhibita methodo fortiter antiphlogistica, vespere hujus diei conditio aegrotae erat pessima, et anxietas adeo vehemens, ut mors ex suffocatione intra breve tem-

pus videretur instare. Hanc ob rem Medicus qui aegrotam tractabat, et gravia illa symptomata adscribebat Laryngitidi acutissimae, nunc consilium petiit Clⁱ DE LA FAILLE, qui ineunte nocte ejusdem diei, aegrotam in suo Clinico recepit; et mox instituto examine, sequentia observavit symptomata:

Color faciei erat ruber; dolor laryngis. primo attactu quidem auctus, attamen fortiore pressura imminuens; respiratio anhaelosa, stridula, sibilans, difficulter et non sine valido motu laryngis peracta, suffocationem fere minitans: tussis sicca, brevis, latrans; expectoratio nulla; anxietas vehemens, aponia, pulsus exilis et contractus, non frequens, 78 in minuto, nulla igitur febris; — sanguis e vena missus nulla crusta inflammatoria tectus; urina spastica, limpida: appetitus fere nullus; sitis aucta; per duos dies alvum non deposuerat.

Ex quibus signis Cl. DE LA FAILLE concludit, aegram nostram laborare *Hysteria Laryngea*.

Praescripti sunt pulveres antispasmodici sequentes:

℞ Castorei opt. gr. viii.
 Extr. Hyoscyami gr. xii.
 Opii depurati gr. i.
 Olei Lauro Cer. gtt. i.
 Sacch. alb. dr. ii.
 M. F. pulv. n^o. VIII.
 D. S. omni bihorio pulvis.

Epispastica ad suras sunt applicita.

Die 7^o Februarii. Symptomata hac nocte non graviora evaserant; anxietas non adeo erat vehemens: pulsus 80: aponia tamen eadem manserat. Etiam dolor, tussis, pulsus et urina fere eadem ac heri vesperi.

Praescripta est potio :

℞ Aquae fontanae unc. vi.
 Olei Menthae Piper. gtt. i.
 Gumm. Arabic. dr. iii.
 Tinct. Asae foetid.
 Aeth. Muriat. Alcoh.
 Aquae Amygd. Amar. Concentr. aâ dr. ii.
 Syr. Sacch. unc. i.
 M. D. S. omni hora cochlear.

Epispastica ad collum et suras.

Vespere hujus diei conditio multo melior, vox aliquomodo redierat; pulsus 78. Cont. cum potione.

Die 8^o Februarii. Iterum gravem habuit paroxysmum hystericum, cum magna anxietate, et sensu strangulationis. Symptomata hinc non meliora, vox iterum deleta, urina plane spastica.

Prascripti sunt pulver. seqq.

R_c Castorei opt. gr. viii.

Opii depur. gr. ii.

Extr. Lactuc. viros. gr. viii.

Olei Laurocer. gtt. ii.

Pulv. Flor. Liquirit. dr. i β .

M. F. pulv. n^o. VIII.

D. S. omni bihorio pulvis.

Quia nunc per tres dies alvum non deposuerat, clyisma apponitur. Vespere illius diei omnia fere eadem; sed anxietas non tanta; sedes copiosa post clyisma.

Die 9^o Februarii. Aponia adhuc mansit; pulsus est parvus et debilis; heri vesperi iterum habuit duos paroxysmos nervosos, quo tempore

perceptio videbatur omnino suppressa, et plenaria adesse insensibilitas, cum pupilla dilatata et immobili: talem paroxysmum semper insequabatur somnolentia.

Repet. pulv. heri praescript.

Omitte Castoreum.

D. S. ut ante.

Die 10^o Februarii. Anxiety iterum videbatur vehementior; in universum autem symptomata non graviora.

Praescripti sunt pulv. seqq.

℞	Opii depur.	gr. ii.
	Extr. Lactuc. viros.	gr. xii.
	Olei Laurocer.	ggt. ii.
	Pulv. Liquirit.	dr. i/β.

M. F. pulv. n^o. XII.

D. S. omni bihorio pulvis.

Propter anxietatem, epispastica ad collum sunt applicita.

Die 11^o Februarii. Heri vesperi iterum paroxysmum habuit, qui uti praecedentes, omnia verae Epilepsiae exhibuit criteria; caeterum conditio melior. Cont. cum pulveribus.

Die 12^o Februarii. Affectio hysterica nunc multo melior, pulsus est lentus, parvus, non durus: sputa expectorare incipit paulum cocta, nigrescentia; forsitan ex accedente affectione catarrhali membranarum mucosarum. Nunc demum fatetur, se jam per biennium Epilepsia laborasse.

Die 13^o Februarii. Symptomata Hysteriae laryngeae continuo meliora evadunt, licet aphonia adhuc maneat. Heri vesperi iterum habuit paroxysmum Epilepticum; etiam tunc aderat febris, et cephalaea; pulsus 92.

Die 14^o Februarii. Heri vesperi iterum febris adfuit. Pulveres die 10^o praescripti repetuntur.

Die 15^o Februarii. Conditio melior: bene dormivit; est extra lectum; vox adhuc deest: eundem paroxysmum iterum hac nocte habuit.

Die 16^o Februarii. Queritur nunc de periodico dolore dorsi; et ex hora 6 matutina aliqua incepit haemorrhagia uteri. Motus infantis nunc se percipere perhibet.

Ut avertatur, si possit, abortus, instituitur venaesectio Unc. vi; et praescribitur haec potio:

℞ Solutionis Saleb unc. viii
 Acid. Sulph. dilut. dr. i.
 Syr. Papav. albi. unc. i.
 m. d.

S. Omni dimidia hora cochlear.
 Die 17^o Februarii. Haemorrhagia adhuc per-
 durat, sed minore quantitate: adest etiam dolor
 adhuc dorsi, sedes una.

Repetitur potio heri praescript.
 d. s. ut ante.

Die 18^o Februarii. Hodie tempore matutino
 iterum habuit paroxysmum nervosum: aponia
 manet. Caeterum satis bene se habet.

Praescribuntur pulver. seqq.

℞ Subcarb. Ferri.
 Sacch. albi. aâ dr ii.
 M. F. pulv. n^o. xii.
 D. S. 6 de die pulvis.

Diebus 19^o—20^o. Haemorrhagia uteri et do-
 lor dorsi cessaverunt: cephalaea nunc adest;
 vox nondum rediit: habuit iterum paroxysmum
 epilepticum; queritur de dolore faucium.

Repet. pulv. cum Subcarb. ferri.
 D. S. ut ante.

Diebus 21°—22°. Conditio eadem. Pulv. cum Subcarb. Ferri repetuntur.

Die 23° Februarii. Vox non rediit: habuit iterum paroxysmum epilepticum; — nunc etiam tussit, et fauces paululum habet inflammatas, ita ut videatur levis Bronchitis adesse. Quamobrem praescripti sunt hi pulveres.

℞ Muriat. Hydrarg. oxydul. gr. iv.

Extr. Hyoscyami gr. xvi.

Pulv. Liquirit. dr. i β.

M. F. pulv. n°. xij.

D. S. 6 de die pulvis.

Seponitur simul usus Subcarb. Ferri: et praescribitur:

℞ Pulv. Rad. Artem. vulg. dr. iv.

divide in part. xii aequales.

D. S. vesperi ter pulvis.

Die 25° Februarii. Satis bene se habet aegrota, pulsus tamen nunc parvus et contractus.

Repet. pulv. cum Mur. Hydrarg. oxydul.

D. S. ut ante.

Diebus 26°—27°. Symptomata Hysteriae laryngeae nunc plane disparuerunt, attamen aphonia restat.

Die 28° Februarii. Pulsus est liberior, non amplius adeo contractus.

Repet. pulv. cum Muriat. Hydrarg. oxydul.

D. S. ut ante.

Die 1° Martii. Quia nunc conditio aegrotae adeo est emendata, ut omnia symptomata morbi disparuerint, excepta vocis absentia, Cl. DE LA FAILLE emplastrum sequens ad sinistram partem laryngis applicari jussit:

℞ Emplastri Gummosi dr. iii.

Tart. Stibiat. dr. β.

Mur. Ammon. dr. i.

M. F. Emplastrum poll. iij. et ii □ cum margine adhaesivo.

Die 2°—5° Martii. Aphonia adhuc manet; paroxysmus epilepticus nondum rediit.

Pulv. cum Mur. Hydrarg. oxydul. repetuntur.

Die 7° Martii. Vocem per intervalla recuperavit.

Repet. pulv. cum Mur. Hydrarg. oxydul.

D. S. ut ante.

Repet. Emplast. die 1° Martii praescriptum.

Diebus 8°—10° Martii. Vox multo melior, illaque levis Bronchitidis symptomata nunc etiam evanuerunt.

Die 11^o Martii. Aegrotā, quae ceterum bene valet, nunc queritur de dolore abdominis, qui pressura augetur; forsā e refrigerio iternum suscepto, quia alvum deponendi causa e cubiculo exierat: motus infantis continuant.

Praescripta est haec potio:

℞ Solut. Saleb ex dr. β unc. vi.

Olei Olivar. dr. iii.

Syr. Papav. albi unc. i.

m. d.

S. omni hora cochlear.

Vesperī, quia dolor adhuc eadem erat, venaesectio est intituta 3 vii. Hodie alvum non deposuit.

Diebus 13^o—14^o Martii. Dolor ille colicus sensim evanuit; ita ut die 15^o Martii sanata Nosocomium reliquerit.

Dein autem illam iterum in Clinico exterorum Clⁱ DE LA FAILLE vidimus, et quidem prima vice die 12^o Aprilis, querelas tunc facientem de dolore lateris sinistri: quia autem pulsus erat

omnino normalis, neque alia morbosa sympto-
mata in oculos incurrebant, praescripta est:

R. Solut. Saleb. unc xij.

Ol. Oliv. dr. iij.

Vin. Opii arom. gtt. xx.

m. d.

S. omni bihorio cochlear.

Die 23^o Aprilis rediit, laborans tunc aphonia et tussi; dum dolor lateris post potionem cessaverat.

Praescriptae sunt guttulae:

R. Aquae Amygd Amar. Conc. unc β .

Extr. Belladonn. gr. vi.

m. d.

S. 5 de die xv gtt.

Die 28^o Aprilis. Aphonia melior, sed tussis gravior nunc quam antea: queritur simul de sensu anxietatis; pulsus est contractus. Graviditas nunc computari potest ad 7 menses. Motus infantis semper se percipere dicit.

Licet aegrota floridum non exhibeat habitum, tamen metu ne partus exoriatur immaturus, venae sectio est instituta $\frac{3}{4}$ vi; et praescripta haec potio:

R Solut. Saleb ex scr. v unc. xviii.

Ol. Olivar. dr. iii.

Extr. Hyosc. scr. i.

Syr. Papav. alb. unc. i.

m. d.

S. omni hora cochlear.

Sanguis e vena missus pauper est, levi tectus crusta phlogistica.

Die 3^o Maji. Non pejor quam antea.

Repet. potio ult.

Adde

Aq. Amygd. Amar. Conc. dr. iv.

ds. ut ante.

Mense Maji dolor dorsi et haemorrhagia uteri (quibus etiam in nostro Nosocomio laboravit) redierunt; tuncque, uti dein audivimus, peperit infantem mortuum nondum maturum.

Tempore quo Cholera Asiatica in hacce urbe grassabatur, et quidem mense Augusti, aegrotam in Nosocomio urbano vidi morbo illo epidemico laborantem, a quo tamen sanata est.

Semel dein, nempe die 15^o Octob. inter externos aegrotos, in nostro Nosocomio iterum illam

vidi, conquerentem tunc de borborygmis, anxietate, vomituritione, aliisque Hysteriis symptomatibus: vox erat rauca, et duobus mensibus menstruatio non adfuerat.

Praescriptae sunt hae guttulae:

R Aquae Menth. Piper. unc ii.

Aq. Amygd. Amar. Conc. unc β .

Vini Opii arom. dr. i.

m. d.

S. 3 vel 4 de die cochlearculum.

Postea illam non vidimus.

EPICRISIS.

Collatis symptomatibus et anamnesi, diagnosis hujus morbi non ab omni parte erat facilis. Constat profecto inter omnes Medicos, hunc morbum adeo frequentem, saepissime suâ diagnosi tantas afferre difficultates, ut aeger et Medicus in errorem ducantur. Modo enim ut Encephalitis apparet, modo ut Pneumonia vel lethalis Carditis; dum tamen accuratiore indagatione ille morbus, symptomatibus suis tam gravis, nihil est quam parvi momenti Hystericus paroxysmus, interdum aequè cito abiturus quam fuerat exortus.

In casu quoque quem enarravimus, aderant multa symptomata, ex quibus satis tuto Laryngitidem adesse posset concludi; attamen accuratiore investigatione, morbus hic debellandus non pertinere ad inflammationes visus est, sed ad Neuroses, et determinabatur *Hysteria Laryngea*. Si enim esset inflammatio, tunc dolor in collo tactu auctus, fortiore pressura magis imo augetur; febris, saltem tempore vespertino, adesset; pulsus conveniret cum caeteris symptomatibus, (hoc enim in casu non frequentior erat quam in statu normali, nec durus, sed potius exilis, contractus); tunc urina esset rubra, inflammatoria; sanguis e vena missus certo crusta inflammatoria esset tectus; et regimen severe antiphlogisticum, quod in initio Medicus adhibuerat, magis juvisset. Omnia hoc in casu potius contrario modo palam se faciunt, ita ut symptomata objectiva cum symptomatibus subjectivis non conveniant, uti in omnibus morbis hystericis. Hanc diagnosin ulterius confirmavit adhibita ratio medendi; methodus enim antiphlogistica non solum, uti jam monui, bonum effectum non

praestitit, sed symptomata continuo tunc graviora evaserant, donec usus remediorum antispasmodicorum bono successu coronabatur. Indicatio nempe hic erat, ut nimis aucta sensibilitas systematis nervi, imprimis organici, imminueretur; quare talia quoque remedia porrigebantur, quae nimiam sensibilitatem et perversam actionem nervorum emendare cognita sunt, uti Castoreum, extractum Hyoscyami, Opium, oleum Laurocerasi, Asa foetida, similia. Eidem scopo inserviebant epispastica et ad collum et ad suras applicita, praecipue sua actione antagonistica, nempe irritando nervos cutaneos. Et revera ex usu horum remediorum vario tempore etiam diverso modo adhibitorum, symptomata Hysteriae laryngeae sensim disparuerunt, licet vox in initio non tam cito rediret; quamobrem dein adhuc emplastrum pustulosum ad sinistram partem laryngis fuit applicitum, ut eo fortius per antagonismum in nervos cutaneos ageretur, et illo etiam effectu, ut tunc intra paucos dies vox redisset. Crederem autem, hic dein revera abortam fuisse affectionem laryngis et dein bronchiorum

inflammatoriam; quia systema vasorum partis hysteriâ affectae irritabatur; et hinc quoque inflammationes imprimis chronicae, non tam raro oriuntur ex hysteria, uti e neuralgiis. Tunc sane medendi methodus protinus quoque est mutanda; et hanc ob causam usus Muriat. Hydrarg. oxydul. simul cum Emplastro irritante in nostro casu optimum praestitit effectum.

Quod attinet paroxysmos illos, qui in initio habebantur paroxysmi hystericis, dein abunde patuit, illos esse veros paroxysmos Epilepticos; quo morbo tunc andiebamus illam jam ex duobus annis fuisse excruciatam. In initio pulveres cum Subcarbonate ferri erant praescripti, duplici scopo, nempe antinervino et etiam roborente; quum autem post usum Subcarb. ferri paroxysmi nullo modo emendarentur, tentavimus medicamentum quod nonnullis in casibus specificè in Epilepsiam agit, imprimis e causa nervosa exortam, Artemisiam nempe vulgarem; tuncque paroxysmi non redierunt, saltem non per illud tempus, quo aegrotam in nostro Nosocomio, et dein etiam aliquamdiu observare nobis contigit.

Cum irritatione systematis nervei organici, in consensum rapientis ipsam medullam spinalem, — forsan etiam cum illis paroxysmis Epilepticis, cohaerere videntur haemorrhagia uteri et dolor dorsi, de quibus conquesta erat aegrotata in Nosocomio nostro adhuc degens, quaeque dein, postquam Nosocomium reliquerat, redierunt, et forsan causa existerunt mortis foetus, quem tunc quasi corpus alienum uterus ejecit ante debitum parturienti tempus.

Symptomata quae dein, postquam Nosocomium reliquerat, interdum sed non gravia apparuerunt, omnia erant nervosae iudolis; iterumque constitutionem aegrotatae valde nervosam et irritabilem nondum esse mutatam, uti illud in omni Hysteriae forma accidit, satis arguebant.

CAPUT II.

Casus ab aliis Auctoribus observati.

CASUS I.

In *Dublin Journal*, mensis Januarii 1839, Cl. GRAVES, sequentem publici juris fecit casum, nomine *Neuralgiae laryngis*.

Aegrotata erat matrona in flore aetatis, quae antea constitutionem habuerat satis robustam, dein autem laboraverat anomaliis menstruationis et hysteria. Affectio laryngis in initio habita erat inflammatoriae indolis, et etiam antiphlogistice erat tractata, nempe purgantibus, hirudinibus, vesicatoriis, antimonialibus, et dein mercurio dulci. Quia tamen haec curandi methodus bono successu non coronabatur, aegrotata Medicum supra dictum consuluit. Dolor tunc fere continuus erat, attamen non vehemens,

exceptis illis paroxysmis, quibus affectio subito evadebat gravior. In illis tamen paroxysmis dolor proprie non adeo erat vehemens, verum efficiebat magis sensationem valde molestantem, quae totam regionem laryngis occupabat. Ex pressura externa nullus dolor oriebatur, superficies interna faucium erat sana; et hinc dignoscebatur affectio hysterica. Haecce Neuralgia praecipue erat memorabilis ob peculiarem sonitum et debilitatem vocis, qui semper comitabant paroxysmos, et indicabant, rimmam glottidis, uti etiam ligamenta vocalia ipsa, praesertim esse affecta. Sedes doloris hic probabili modo haerebat in filamentis nervi inprimis sensilis laryngei superioris, seque forsitan etiam in filamenta nervi laryngei inferioris propagabat. Per magnas doses subcarbonatis ferri morbus evadebat periodicus; paroxysmi semper tempore matutino ipsa hora decima oriebantur; nunc dosis subcarbonatis ferri augebatur; dein praescribatur sulphas Chinini, et tandem Arsenicum; sed omnia haec remedia sine bono eventu adhibebantur; — affectio quidem evadebat paululum minor et brevius durans; sed

valde erat dubitandum, nonne emendatio magis esset adscribenda tempori quam medicamentis. Omnia medicamenta tunc seponebantur; mutatio atmosphaerae, domicilium in regione magis amoena, et usus aquarum martialium commendabantur. Morbus tunc quidem minus fiebat gravis; forsitan tamen nunc adhuc perdurat. — Memorabile est factum saepissime observatum, quod morbi remittentes per medicamenta nostra non raro fiunt perfecte periodici; quodque nostra spes dicitur, si hanc ob rem credamus, auctis dosibus plenariam curationem posse effici. Hic imprimis cavendum a conaminibus sanationem vi cogendi, et sic conditionem aegrotae magis adhuc dirumpendi (1).

(1) Relatum hanc casum vide in FRORIEP's *Neue Notizen*, Jahrgang 1839, Band X, no. 22, pag. 351.

CASUS II.

Vir. doct. WILH. SCHLESIER memorat casum sequentem Laryngospasmi in CASPER'S *Wochenschr.*, n^o. 2, 1845.

Vir, quadraginta annos natus, obesus, constitutionis nervosae irritabilis, qui, quamvis non potator strenuus, tamen potuum spirituosorum erat amator; jam per decem annos, — ex eo tempore quo per murum subcidentem, ambobus ossibus cruris fractis, vehementem commotionem pectoris fuerat passus, — symptomatibus asthmaticis laboraverat, quae praesertim post lucubrationes nocturnas apparebant, sed post usum calidae infusionis theae vel caffeeae semper subito iterum evanescebant. Ultimis diebus Junii, anni 18.., febre intermittente erratica cum signis gastricis catarrhalibus corripiebatur; attamen non advocabatur Medicus, nisi postquam duo paroxysmi jam adfuerant, die nempe primo Julii, tempore vespertino. Querebatur tunc, se jam per dimidiam horam, erectum sedentem, vel in lecto esurgentem, impedita respiratione affici, quod tamen statim

evanescebat, quando quietus in dorsum decumbebat. Haec tamen impedita respiratio plane erat diversa ab illa, quae antea paroxysmos asthmaticos comitabatur, quia nunc quasi collum constringebatur. Tussis cum hac conditione conjuncta erat magis sicca et latrans quam antea, et sonus vocis erat paululum alienus. Nulla ruboris vel tumoris signa in faucibus aderant, nec etiam febris, ueque dolor ad pressuram, sed quidem magna anxietas. Dum Medicus nunc cum aegroto, ut animum ab affectione, de qua valde erat perterritus, derivaret, de aliis ad rem non pertinentibus rebus colloquebatur, inopino cum immenso clamore e lecto exsilibat, vehemente ut videbatur paroxysmo asthmatico correptus. Solitum remedium, infusio nempe calida caffee, dein theae, nunc omni successu carebat. Tractibus faciei distortis, oculis prominentibus, ore hiante, respiratione sibilante (omnino fere simili illi, quam habent infantes anginâ membranaceâ affecti), larynge sursum et deorsum tracta, convulsionibus musculorum colli et pectoris, aegrotus ibi jacebat in summo suffocationis peri-

culo et vehemente anxietate, digitum, quia nec verbum neque sonum rite distinctum edere valebat, ad fauces apertas et etiam ad laryngem movens, ut sic indicaret sedem impediendi respirationis. Paroxysmus non erat dissimilis illi, si in laryngem vel tracheam corpus alienum inciderit. Praesertim inspirationes peculiarem edebant sonum, expirationibus minus observatum. Licet post nonnulla minuta remissio oriretur, qua sonos nondum distinctos edere, verba exprimere, et potum deglutire valebat aegrotus, tuncque simul tussis insurgeret brevis, sibilans, spastica, quae durante maxima paroxysmi vehementia plane defuerat, brevi tamen suffocationis periculum summum iterum attingebat gradum.

Aegrotus qui, more asthmaticorum, initio paroxysmi pedes extra lectum tenuerat, paulo post, more anginâ membranaceâ laborantis, in dorsum jacebat collo prominente et capite retracto. Miserrima illa conditio ita mansit per horas. Antispasmodica in talibus casibus proficua, imo ipsum opium, nihil juvabant. Tandem Medicus, apoplexiam orturam metuens, venam secabat; sanguine tunc ex magna apertura

fluente, cessabat spasmus, et rite distincteque mox loqui poterat aegrotus; donec, libra una cum dimidia sanguinis evacuata et lipothymia minitante, venae apertura claudebatur: — hoc autem facto, horribili vehementia paroxysmi spastici mox redibant. Jam per horam unam cum dimidia spasmus duraverat; remedia fortiora, talibus in casibus usitata, frustra adhibebantur. Tandem Medicus confugiebat ad cataplasmata adeo calida, quae aegrotus vix perferre posset: — illudque revera fiebat bono eventu; vehementia spasmi quovis minuto magis imminuebatur, et dimidia hora praeterlapsa plane evanuerat. Sequenti nocte aegrotus erat quietus; attamen proximo die hora sexta matutina iterum oriebatur paroxysmus febris, cum magna horripilatione et vehemente singultu spastico, qui tamen per nonnullas doses laudani cito compescebatur. In sequente Apyrexia supprimebatur febris; et octo diebus praeterlapsis eo jam sanitas redierat, ut solitos labores iterum peragere valeret; et praeter tussin aliquamdiu adhuc continuantem, ex eo inde tempore nullum vestigium paroxysmorum spastico-

rum, minus imo suffocationis periculi, apparuit.

Accurate contemplantes hanc relationem, mox perspiciemus magnam differentiam inter symptomata spasmi ligamentorum glottidis illaque asthmatis pulmonum. Ex sono vocis omnino mutato vel ex plenaria aphonia, ex inspiratione sibilante, et cubitu in dorsum capite reflexo, quem asthmaticus nullo modo perfert, tandem ex tussi cum peculiari sono, possumus dignoscere Laryngospasium, eumque sic primo instuitu distinguere ab asthmate pulmonum (1).

CASUS III.

In *Bulletin général de thérapeutique médicale et chirurgicale*, duo casus narrantur, memorabiles et perrari, nomine *Neurosis laryngis*.

CECILIE BRIGAUT, puella viginti unum men-

(1) Relatum hunc casum vide in SCHMIDT'S *Jahrbücher*, Jahrgang 1845, Band XXXXVII.

ses nata, die secundo Februarii in hospitio infantum recipiebatur. Die sequente tempore matutino inveniebatur in dorsum decumbens, facie quieta, colore rubro florido, cute frigida et pulsu normali. Sed ipso momento, quo parvulae situm dare volebant erectum, inopino exoriebatur paroxysmus, qui sono sibilante in larynge et trachea, similis tussi convulsivae, se manifestabat. Facies fiebat rubra et tumida; infans circumjiciebat brachia dextrorsum et sinistrorsum; sonus sibilans redibat quinques vel sexies in minuto, et continuo evadebat fortior, quo magis paroxysmus ad finem vergebat. Caeterum nulla tussis, nec ante nec post paroxysmum, neque durante illo. Subito nunc omnia ad statum normalem redibant. Ex auscultatione, quae tantummodo semel durante paroxysmo instituebatur, patere videbatur, aërem, tempore soni sibilantis, nec in ultimis ramis bronchiorum neque in vesiculis aëreis intrare. Attamen in intervallis paroxysmorum, apparatus organorum respirationis ne minimam quidem affectionis demonstrabat speciem. Auscultatio et percussio nulla alia quam negativa

praebebant signa. Faucium investigatione nihil morborum in pharynge vel in partibus vicinis observabatur, nec etiam digitus introductus aliquam intumescitiam circa rimam glottidis demonstrabat. Pressura ad laryngem nullum efficiebat dolorem. Pulsus erat centum in minuto, et in eodem temporis spatio tricies spirabat aegrotus. Deglutitio in intervallis paroxysmorum nullo modo erat molesta, attamen interdum producebat talem paroxysmum, et tunc necesse erat, ut alimentum daturum seponeretur. Infanti, quamdiu in hospitio morabat, pro nutrimento quotidie juscula carnis dabantur. Dubus primis diebus, quum in hospitio degeret, novem vel decem paroxysmi temporis spatio viginti quatuor horarum insurgebant.

Doctiss. BAUDELOCQUE, Medicus hospitii infantum, qui sonum sibilantem in hoc morbo cum illo tussis convulsivae comparabat, praescripsit extractum Belladonnae, in initio granum dimidium, dein granum unum pro dosi. Quatuor diebus praeterlapsis, paroxysmi exoriebantur rariores et debiliores. Nunc omittebatur Belladonna; attamen sequente die re-

dibant paroxysmi. Nunc de novo idem medicamentum dabatur, et iterum paroxysmi decrescebant. Animus tunc erat, aegrotulam per nonnullos adhuc dies in hospicio servare, ut Medicus persuasum se haberet plenariam sanationem fuisse secutam; verum parentes, certiores facti de insitione vaccinarum in infantem instituenda, protinus illam ex hospicio eduxerunt.

CASUS IV.

Alterum casum non minus notatu dignum, Clar. DUPUYTREN in suo Clinico observavit. Sonus, hic affectione laryngis productus, erat latrans, ejusque causa erat conditio convulsiva laryngis.

Aegrotus erat puer decem annorum, lymphaticae constitutionis, referens, se jam per sex menses illo malo laboravisse, nec tamen ullam causam hujus affectionis potuisse dete-

gere. Porro narraverat, se nauseam et vomitionem sensisse, quae tamen molimina non insecutus erat vomitus: — ab eo inde tempore continuo fere speciem convulsionum vel spasmi musculorum laryngis passus fuerat; in initio semper loquela erat difficilis, quam insequabatur plenaria aponia.

Secundum opinionem Clⁱ DUPUYTREN, affectio praesertim videbatur constare laesione functionum musculorum laryngis, qui non amplius voluntatis imperio erant subjecti.

Motus laryngis accuratius indagati, erant valde celeres et fortes; illud organum se movebat per spatium unius pollicis; nempe primo ad dimidium pollicem adscendebat larynx, et dein ad eandem profunditatem descendebat; illique alternantes motus locum habebant tali celeritate, ut oculus illos vix posset sequi.

In his motibus nunc caussa quaerebatur, cur canalis vocalis uno tempore valde esset elongatus, et brevi post iterum valde contractus; porro ex illis motibus itidem explicabatur caussa, quod illi muscoli, qui ligamenta vocalia ad se invicem ducunt, et etiam

tendunt, ut rima glottidis magis minusve coarctetur, convulsive commoti, magis minusve acutos fortesque sonos ederint. Vox pueri etiam male sonabat, valde conveniens cum vagitu animalis, praesertim cum illo latrantis canis.

Usu interno infusi Valerianae et pilularum Möglini, puer paucis diebus pristinam recuperaverat sanitatem, et reddebatur parentibus, voce plenarie restitutâ (1).

CASUS V.

Cl. E. OSANN, Professor Berolinensis, sequentem observationem communicavit.

WILHELMINE P., viginti tres annos nata, constitutione florida et robusta gaudens, quae jam per annos gravibus capitis et pectoris congestionibus laboraverat, et modo praecedente anno menses prima vice habuerat, ex eo inde tempore regulares quidem, sed semper parcas, — quo

(1) FRORIEP'S *Neue Notizen*, Jahrgang 1845, Band XLIII.

tempore menstruationis congestiones semper erant graviores, — ultimis mensibus laboraverat gravibus doloribus capitis et anxietatibus, quos semper tunc paroxysmi periodici singultus et spasmodum gravium pectoris comitabantur. Nunc etiam non solum post animi pathemata cujuscunque generis, sed etiam sine ulla causa externa, illae affectiones redibant etiam extra periodum menstruationis. Percipiebatur tunc, primo in scrobiculo cordis, dolor vehemens, constringens, dein in pectus adscendens, cum gravi anxietate, singultu, dyspnoea, aponia, quarum sequelae erant spasmi generales tam clonici quam tonici, attamen sine amissione conscientiae; hos paroxysmos, qui per dimidiam et interdum per multas horas durabant, sequebantur lassitudo et collapsus virium; pulsus in intervallis erat incitatus, attamen regularis; digestio non laesa.

Post usum medicamentorum refrigerantium, solutionis Subboracis sodae cum tinctura Croci, et lenium nervinorum, paroxysmi sensim evadabant minus graves, menses non solum redibant regulares, sed nunc etiam majore copia.

Tandem aegrotata, continuo usu nervinorum (radicis nempe Valerianae, herb. Melissae, et flor. Chamemelae), spasmis plane liberata, sed debilis adhuc, per aliquod tempus ruri degit, ibique plenarie est sanata (1).

(1) In HUFELAND's *Journal der Prakt. Heilkunde*, 1835, Band LXXXI, Stück VI, Seite 39.

CAPUT III.

*Opiniones variorum Auctorum de hoc morbo ,
additâ brevi ejus descriptione.*

§ 1.

DOCT. THOMAS DAVIES (1) sequentia de hoc morbo communicavit ; — tussin hystericam tredecies vel quatuordecies apud feminas hystericas observavit , et quidem vulgo ante annum vicesimum. Hanc tussin per sonum raucum durante expiratione se manifestare perhibet , quae saepius unius minuti spatio redit , et per horas , dies , hebdomades , imo per menses continuat , excepto tempore quo aegrotae dormiunt. Vox evauescit ad aphoniam usque ; saepe tales aegrotae de sensatione rauca in la-

(1) Vide SCHMIDT's *Jahrbücher* , Jahrgang 1836 , Band 10 , pag. 369.

rynge conqueruntur; respiratio non semper est difficilis, nec saepe adsunt dolor et pressura pectoris. Nonnumquam expectoratio locum habet. Multa remedia adhibita nihil juvabant; prae aliis suadenda domicilii mutatio.

§ 2.

Doct. B. TRAVERS (1) refert, se saepe feminas vidisse, tractatas quasi morbis hepatis, cordis, pulmonum, aliisque laborantes; quae conquerebantur de vehemente dolore, vel gravi oppressionis sensatione, sive de anxietate, in regione unius aliusve illorum organorum; cum impedita horum functione, uti vulgo apud morbos idiopathicos illorum organorum observatur; dum tamen talium aegrotarum constitutio erat nervosa, et habitus hystericus. Illae porro leucorrhoea, suppressa vel profusa menstruatione laborabant, vel globo hysteric excruciantur, et urinam mittebant aquosam, spasticam. Majoris adhuc momenti ad certio-

(1) Vide SCHMIDT's *Jahrb.*, Jahrgang 1836, Band 10, pag. 363.

rem diagnosis erat perlonga duratio illorum morborum uti videbatur topicorum, dum nulla mutatio organica in organis affectis exoriebatur. Neque in morbis illis hystericis vulgo conditio generalis totius corporis adeo est affecta, quam in morbis illis topicis; porro remissiones magis minusve completae locum habent, ita ut somnus non sit inquietus; tandem, uti jam dictum, nutritionis functio non est laesa.

§ 3.

Secundum Doct. BENJAMIN BRODIE (1), aponia hystERICA cito exoritur, per menses et imo per annos durare potest, et aequè cito potest evanescere; quo nempe in casu post vehementia animi pathemata inopino tales aegrotae normali voce loquuntur, dum momento prius ne verbum quidem bene sonans exprimere potuerant; sanatio tali in casu potest esse permanens; vel etiam interdum aponia iterum redit. Hoc symptoma non raro quoque apud viros obser-

(1) FRORIEP'S *Neue Notizen*, Band II, April—Juni 1837, pag. 124.

vatur, praesertim apud concionatores, forsam quia hi vulgo vitam agunt sedentariam vocemque valde intendunt.

§ 4.

Doct. RIJLAND (1) de affectionibus hystericis laryngis sequentia dicit.

Larynx duabus speciebus anomalae functionis est exposita, ex hysteria vel menstruatione anomala; quarum altera in conditione irritativa musculorum glottidis, qui rimam glottidis claudunt, consistit; altera vero in relaxatione eorundem musculorum, praetereuntem vel permanentem aphoniam efficiens.

Prima affectio sequenti modo se manifestat; valde irritativa conditio laryngis, quam comitatur saepius rediens spastica oclusio glottidis; non raro apud feminas hystericas in flore aetatis se prodit, quae menstruatione anomala laborant. Paroxysmi vulgo tempore vespertino insurgunt, et consistunt tussi continua, rauca, convulsiva, quam saepe sibilans inspiratio et ad suf-

(1) FRORIEP's *Notizen*, Band XVII, Juli bis September 1838, pag. 220.

focationis periculum usque respirationis molestiae insequuntur. Hi paroxysmi non raro per duas vel tres horas sine intermissione continuant, et non prius cessant, quam lipothymiae vel convulsiones generales exortae fuerint. Interdum talis paroxysmus etiam transit in vulgarem accessum hystericum. Numquam, ita dicit, spasmus hystericum glottidis morte terminatum vidi; dyspnoea tamen interdum adeo est vehemens, et suffocationis periculum uti videtur tam magnum, ut doct. ALBERS, Medicus Bonnensis, tracheotomiam tamquam ultimum remedium contra hanc affectionem proposuerit. Et revera semel haecce operatio a praeclaro Chirurgo institueretur. Aegrotam, in flore aetatis, tempore vespertino inopino tussi, respiratione difficili et suffocationis periculo afficiebatur tali gradu, ut statim tracheotomia crederetur indicata; quum autem Chirurgus primam cutis incisionem fecisset, respirationis impedimentum mox erat sublatum.

Haec irritativa conditio laryngis, uti etiam spasmus musculorum rimae glottidis, si ab hysteria vel menstruationis anomalia pendent, ut

plurimum eo possunt dignosci, quod nullus dolor, nec ulla sensatio ulcerosa in laryngis regione adest, et quod morbus per paroxysmos se manifestat. Affectio illa magis est molesta quam periculosa, et tracheotomia ideo nunquam potest haberi necessaria, quia tunc semel quidem suffocatio fuisset oborta.

Therapia est, ut in usum vocentur illa remedia, quae vulgo in hystericis affectionibus adhibentur; facies et collum aqua frigida humectentur, Ammonia liquida per nasum inhaletur, et emeticum porrigatur. Ut recidivae praeclaveantur, agatur in conditionem generalem corporis, et praesertim in menstruationis functionem.

Feminae hystericæ interdum etiam aphonia afficiuntur, dum nullam laryngis affectionem possumus accusare causam. Hoc symptoma subito intrat, per hebdomades et annos durat, et aequè subito evanescit; attamen haecce sanatio non est permanens. Saepe pendere videtur aphonia a dysmenorrhoea, interdum tamen a conditione valde nervosa et debili, et tunc non est dissimilis ei aphoniae, quae

post vehementes diarrhoeas vel post magnas haemorrhagias sequitur. Secundum BRODIE, eadem affectio etiam apud viros se manifestat, nempe apud Oratores, qui vitam agunt sedentariam et coacti sunt alta voce loqui. Haecce aphoniae species se distinguit ab illa quae a chronica laryngitide pendet, per absentiam doloris, caloris et tumoris, per subito insurgentem paroxysmum, et per redeuntem pro tempore vocem, si praeter modum se intendunt.

Prima indicatio hic eo tendit, ut conditio generalis ad sanitatem reducatur; et altera indicatio, ut vires musculorum laryngis restituantur. Quod ad primam attinet, hic praesertim nostram attentionem merentur flatulentia, obstructio vel menstruationis anomaliae. Praeterea ad generalem hysteriae curationem attendere debemus. Aphonia, quae tantummodo a nimis excretionibus et a debilitate, ex nimia humorum amissione orta, pendet, vulgo incitante et tonicâ methodo adhibitâ cessat. Interdum tamen observaverunt, post usum emetici vocem rediisse et etiam mansisse.

Quod ad localem curationem attinet, ita

dicit doct. RYLAND, parum hac de re nobis constat; remedia enim localia valde incerta sunt sua actione, et in duobus casibus vix eodem modo agunt. Vesicatoria, rubefacientia, foniculi, brevi tota cohors remediorum derivantium, fuerant adhibita, et in nonnullis casibus etiam juvârunt, in aliis tamen casibus sine bono successu in usum sunt vocata. Galvanismus et Electricitas interdum nihil fecerunt, interdum quidem successu coronabantur. A priori sane haec arridere debent, et profecto per longum tempus sunt tentanda. Fluidum Electricum tunc secundum decursum nervi laryngi superioris debet conducere.

Agendi modus doct. TROUSSEAU ope lapidis Infernalis, est quidem innoxia, attamen in illud medicamentum non magnam fidem possumus habere; licet illud possimus tentare, si alia medicamenta ex votis non agant: et quidem eo in casu, quando vox praetermodum est debilis et sonus vocis valde mutatus; id quod vulgo sequela est vehementis intensionis vocis sub dio, vel catarrhi, quo aegrotus antea saepe laboraverat; nimirum si constat, nullam inflammationem subesse.

§ 5.

Cl. SCHÖNLEIN (1) de hoc morbo sequenti ratione disserit.

Respiratio, ita dicit, in aegrotis hysteriâ laryngêâ laborantibus valde est difficilis et anxia: dicunt se sensationem habere quasi collum constringatur; praeterea sonus vocis manifeste est mutatus; adest tussis latrans, similesque mutationes in voce adsunt; per intervalla tamen, imo saepe proximo momento, sonus vocis iterum plane est normalis; duae, ita dicit, adsunt voces in uno eodemque individuo, nempe praeter vocem normalem alia vox, quae sub imperio nervorum morbose irritatorum est posita. Mutationes glottidis, quas vulgo jam videre licet, quando pharynx inspicitur, symptomata febrilia, dolor qui ex pressura augetur (symptomata, laryngitidi propria) hic plane desunt.

(1) SCHÖNLEIN, *Allgem. u. speciell. Pathologie u. Therapie*, th. IV, pag. 95.

§ 6.

Cl. CANSTATT (1) dicit, multas hystericas feminas tussi brevi, sicca, fere latrante laborare, quae per paroxysmos, et praesertim post animi pathemata et incitationem systematis nervei exoritur, saepe tamen post usum remedium, actionem systematis vasculosi incitantium (illorum nempe, quae quamcunque aliam tussin laryngeam augent), imminuitur vel plane cessat; interdum hanc tussin comitatur spasmus rimae glottidis et respiratio similis illi, quae apud infantes angina membranacea laborantes auditur. Alia species affectionis laryngis est raucedo et aphonia. Hoc symptoma subito oriri potest, et eadem inopinata celeritate, postquam per menses imo per annos duravit, potest evanescere. Interdum, post vehementem animi incitationem, aegrotata voce normali loquitur, dum paululum ante vox adhuc ad aphoniam usque erat extincta.

(1) CANSTATT, *Handbock der geneeskundige kliniek*, Dl. III, Afd. I, pag. 445.

Porro tales feminae hystericae , non raro per paroxysmos et involuntarie , expellunt sonos plane animales (qui cum sono latrantium canum valde conveniunt).

Ab aliis laryngis affectionibus , ita pergit auctor , haec neurosis se distinguit , quia insuper vulgo aliae affectiones hystericae simul adsunt , et quia nulla expectoratio nec etiam febris adest.

§ 7.

Restat adhuc brevis descriptio morbi.

Symptomata. Neurosis Laryngis morbus est , qui sequentibus symptomatibus se manifestat. Adest species doloris in regione laryngis ; non quidem verus est dolor , sed magis sensatio molesta regionem laryngis occupans , quae ad pressuram externam non augetur , et periodice gravior evadit ; — porro tussis adest sicca , brevis , spastica , cum sono peculiari non absimili sono latrantis canis ; tussis illa id habet peculiare , quod vulgo periodice et per paroxysmos exoritur , et quidem imprimis post animi pathemata et incitationem systematis nervei ,

dum post usum medicamentorum systema vasculosum incitantium (medicamenta ex quibus quaelibet alia tussis laryngea pejor evadit) vulgo imminuitur vel plane cessat; — expectoratio vulgo nulla; — respiratio valde difficilis, et, durante illa, sonus auditur sibilans; praesertim autem illud valet de inspiratione, minus de expiratione; est quasi collum constringatur; respiratio illa valde convenit cum respiratioue difficili apud aegrotos angina membranacea laborantes: — adest porro vehemens anxietas; — loquela est difficilis, et sonus vocis manifeste est mutatus; vox in initio est rauca, tuncque insequitur vulgo plenaria aponia, quae quidem subito exoriri et aequè subito evanescere potest, ita ut vox tunc per intervalla redeat. In talibus aegrotis duos efficit illa vox sonos in uno eodemque individuo (teste Cl. SCHÖNLEIN), nempe praeter sonum vocis naturalem adhuc alter exstat sonus, qui sub imperio nervorum morbose irritatorum est positus: — vulgo nihil morbose observatur in pharynge, nec etiam in partibus vicinis, neque ulla adest intumescencia circa rimam glottidis, nec sensatio ardoris; —

aeger vulgo est inquietus, decumbit in dorsum; febris non adest, pulsus non frequens, sed quidem parvus et contractus; temperatura cutis non est aucta; urina limpida, spastica.

Praeterea hoc malum vulgo habet intermissiones et exacerbationes, et in illis paroxysmis, qui plerumque tempore vespertino oboriuntur, respiratio magis adhuc impeditur et anxietas interdum ad suffocationem usque augetur. Omnia alia simul symptomata in talibus paroxysmis increscunt; collum tunc quasi constringitur, tractus faciei sunt distorti, os valde hiat, oculi prominent, respiratio est sibilans; aegrotae, quia nullum verbum exprimere valent, digitum ad laryngem admovent, ut sic indicent sedem impedimenti respirationis: paroxysmus valde convenit cum illo casu, quando in laryngem vel tracheam corpus alienum est illapsum. Hi paroxysmi interdum per duas vel tres horas durant, et non prius cessant, nisi lipothymiae vel convulsiones generales exortae fuerint.

§ 8.

Aetiologia. Quod causas hujus mali attinet, primo loco nostram attentionem meretur Aetas. Neurosis laryngis morbus est qui quavis aetate occurrit; quodque etiam aetas infantilis eo affici possit, notum est; sic vir doct. RÖSCH (1), duos casus narrat Laryngospasmi apud infantes, illisque haec verba adjungit: dass » der Stimmritzenkrampf junger Kinder, welche » Krankheit KOPP mit dem Namen *Asthma thymicum* bezeichnet hat, nicht immer in der » von Letzterm angegebenen veränderten Thymus » begründet sei: dass es im Gegentheil jenem » vollkommen ähnliche Zufälle gebe, in welchen weder die Thymus vergrössert ist, noch » die Drüsen um die Luftröhre herum angeschwollen sind), noch überhaupt eine organische Veränderung, wodurch der Lüftkanal » gereizt u. gedrückt würde, nachgewiesen werden kann; sondern vielmehr alles für eine

(1) SCHMIDT's *Jahrb.*, Jahrgang 1840, Band 28, pag. 194.

»blosse krankhafte Affection des den Lüftkanal
 » u. hauptsächlich die Glottis versehenden Theils
 » des pneumogastrischen Nerven spricht." Alios
 hujus mali in infantibus observatos casus hic
 illic offendimus: ita doct. BURGESS (1) histo-
 riam narrat Laryngospasmi in infante septem
 mensium: — quosque sub no. III et IV com-
 municavi casus, etiam ad infantes pertinent.

Quoad Sexum, uterque profecto sexus hoc
 malo afficitur, licet femineus multo magis ad
 illum sit dispositus quam masculinus. Viros
 interdum affici, a diversis auctoribus non ue-
 gatur; et casus, quem sub no. II citavi, illud
 etiam probat: — prae aliis autem tales affi-
 ciuntur viri, qui constitutionem habent ner-
 vosam, vitamque degunt sedentariam et simul
 vocem valde intendunt. Feminas autem affici
 prae viris, eo facile explicatur, quia in illis
 constitutio magis est nervosa et irritabilis, et
 sic hysteria hujus mali praecipua causa est
 accusanda; et frequenter vitia menstruationis

(1) SCHMIDT'S *Jahrb.*, Jahrg. 1840, Band 27, pag. 80.

illum provocant, nempe profusa vel suppressa menstruatio (TRAVERS); et non minus, secundum RYLAND, dysmenorrhoea: porro omnia illa, quae systematis vasculosi activitatem deprimant, illamque systematis nervi augeant, uti anaemia; sic post vehementes diarrhoeas vel post profusas haemorrhagias hoc malum potest oriri (RYLAND); et forsitan non sine omni jure affirmare audeam, symptomata in casu quem ipse observavi, gravitate increvisse, quod illa femina permultas venaesectiones fuerat passa: eo magis illud crederem, cum nuper aliquoties in Nosocomio Academico observavimus casus, in quibus etiam sanguinis detractiones possent accusari causa hystericae affectionis laryngis: ita unum memoro aegrotae, quae, laryngotracheitide laborans, sanabatur crebris venaesectionibus institutis, topicisque sanguinis evacuationibus; quae autem tunc afficiebatur passione hysterica laryngis, cujus causa videbatur quidem adscribenda speciei anaemiae ex frequenter repetitis detractionibus sanguinis. — Hicce morbus etiam per metaschematismum ex inflammatione videtur posse

oriri : ita Doct. AD. SCHUPMAN (1) casum narrat neuralgiae nervi vagi , cum nostra observatione aliquomodo convenientem ; rami enim nervi vagi , qui per diversas partes laryngis se distribuunt , simul cum aliis erant affecti : illeque morbus poterat haberi effectus indigestionis.

Quod tempus anni attinet , neurosis laryngis magis occurrit tempore hyemali quam aestivo ; etiam quia hoc tempore morbi abdominales magis grassantur.

§ 9.

Natura morbi In hoc malo filamenta nervorum motoria magis videntur esse affecta quam filamenta nervorum sensilia ; si enim nervi sensiles magis paterentur , dolor certe esset vehementior : quodque nervi motorii sunt affecti , satis manifeste patet ex motibus convulsivis spasticisque musculorum laryngis ; quamobrem etiam plurimi statuunt , activitatem filamentorum motoriorum vulgo esse auctam Attamen duae species videntur adesse . quarum

(1) Vide HUFELAND'S *Journal* , Band XC , Stück V . pag. 18.

una et quidem maxime vulgaris consistit in nimia irritabilitate nervorum; altera minus frequens in imminuta irritabilitate eorundem nervorum; ita etiam RIJLAND duas species distinguit, quarum alteram dixit in conditione irritativa musculorum glottidis, qui rimam glottidis claudunt, alteram vero in relaxatione eorundem musculorum consistere, et praetereuntem vel permanentem aphoniam efficere.

Possemus nunc quaerere, quinam nervi in hoc malo affecti sint, an nervus laryngeus superior, an inferior, — ambo qui a nervo vago originem ducunt. Doct. BURGESS (1) in suo opere de physiologia spasmi glottidis dicit, quod nervus laryngeus superior non, uti MACENDIE vult, sit constrictor laryngis, quia sui rami musculos laryngis perforant, ut se per membranam mucosam laryngis distribuant; sed quod haec functio magis attribuenda sit nervo laryngeo inferiori (recurrenti), qui se per musculos laryngis distribuit. Quamobrem, secundum doct.

(1) Relatum hoc vide in SCHMIDT's *Jahrb.*, Jahrgang 1840, Band 28, pag. 296.

BURGESS, deberemus statuere, morbum haerere in nervo laryngeo inferiore (recurrente). Atamen, (quia observationes multorum aliorum auctorum docuerunt, tam nervum laryngeum superiorem quam inferiorem ramos suos per musculos laryngis distribuere), mihi magis arderet opinio, ambos hos nervos accusare in illo morbo. Doct. RÖSCH hoc malum apud infantes etiam habet affectionem morbosam nervi pneumogastrici, et praesertim illorum filamentorum hujus nervi, quae per diversas partes laryngis et glottidis se distribuunt.

§ 10.

Diagnosis. Diagnosin hujus morbi a laryngitide aliquomodo difficilem esse, manifeste experientia probat; quemadmodum plures exstant casus, quales etiam communicavi, quod Medici non imperiti se laryngitidem putabant videre, dum tamen haec nervosa laryngis affectio aderat. Idem dicit doct. TRAVERS, nempe universe tales affectiones hystericas facile cum inflammationibus posse confundi. Investigatione autem

accurate instituta , ex sequentibus diagnosin statuere licet.

In Laryngitide adsunt ruboris et tumoris signa in faucibus partibusque circumjacentibus ; dum in Neurosi laryngis fauces et partes vicinae sunt normales , nec rubent nec tument. In Neurosi laryngis non adest ardor , nec sitis , nec dolor ad pressuram , nec etiam cutis externae temperatura est aucta , symptomata quae omnia in Laryngitide satis sunt manifesta ; in Neurosi laryngis nulla adest expectoratio ; dum apud aegrotos Laryngitide laborantes in decursu morbi expectoratio exoritur. In utroque morbo adest aponia ; attamen in Laryngitide illa aponia non periodica est , uti in Neurosi laryngis ; in posteriore enim malo aponia subito potest evanescere , et aequè subito interdum redire ; porro ad diagnosin hujus affectionis magis confirmandam , inservire potest longa duratio morbi sine ulla destructione organica ; praeterea in hoc morbo non adest febris , nec pulsus frequens : urina est limpida et spastica ; — dum in laryngitide adsunt febris , pulsus frequens et insuper urina rubra inflammatoria.

Hic morbus, praesertim si per paroxysmos se manifestat et apud viros, etiam confundi potest cum Asthmate. Attamen certum criterium, quo hoc malum ab Asthmate distingua- tur, vocem mutata[m] et aphoniam possumus ha- bere; in Asthmate enim sonus vocis est norma- lis. Aliud criterium est decubitus in dorso cum capite reclinato, quem asthmaticus nullo modo potest perferre. — Praeterea adsunt plura alia criteria: citare modo liceat, quod apud aegrotos neurosi laryngis laborantes in paroxys- mo collum veluti constringitur, illudque non ita in Asthmate; — quod apud tales aegrotos respiratio sibilans et tussis peculiaris adest, cetera.

§ 11.

Duratio et Exitus. Malum vulgo est chro- nicum, saltem nonnulla symptomata diu pos- sunt durare; sic aponia per hebdomades, menses, imo per annos, praesertim in feminis hystericis; in quibus tamen etiam subito potest iterum evanescere, uti observationes variorum medicorum manifeste docuerunt. Morbus vulgo

intermissiones et paroxysmos facit, talesque paroxysmi non raro post animi pathemata oboriuntur.

Quod *exitus* attinet, morbus potest transire 1° in sanationem; functione nervea in normam restituta, interdum quidem conspicua crisi, tunc maxime per urinam, rarius per sudorem: tunc tamen aphonia interdum diu manet, et recidivae quoque non sunt raras. Morbus potest 2° *in alium morbum* habere exitum, nempe in Laryngitidem chronicam, et sic in phthisin laryngeam: etiam per metaschematismum potest transire in Laryngitidem acutam. quae tunc id peculiare habet, quod, uti omnes inflammationes quae ex neurosibus oriantur, cito decurrit et exitum facit. Potest tandem exire 3° *in mortem* per morbos mox citatos, et praeterea per suffocationem et paralysin pulmonum.

§ 12.

Prognosis. Malum vulgo lethale non est, sed quidem molestum; sunt enim in illo tantum nervi affecti; et hanc ob rem, quamvis morbus interdum videatur esse gravis, prognosis

non est infausta, et rarissime mors oritur. RIJLAND hanc affectionem numquam morte vidit terminatam, illamque hinc dicit magis molestantam quam periculosam. Paroxysmi illi suffocationis, quo graviores sint et quo citius redeant, eo periculosius est malum.

§ 13.

Therapia. Quod curationem hujus morbi attinet, indicatio est, ut nimia irritabilitas nervi vagi imminuatur: ergo talia medicamina porrigantur, quae huic scopo inserviant, antispasmodica nempe, uti sunt extractum Hyoscyami, Opium, acetas Morphii, extr. Belladonnae, infusum Valerianae, ol. Laurocerasi, Cyanuretum Zinci, Castoreum, Asa foetida, extr. Lactucae virosae, aliaque. Porro stimuli, ad cutin externam applicati, valde conveniunt, ut nempe per antagonismum nervi cutanei incitentur, et quidem illi, qui in propinquitate nervi affecti jacent; hoc fit per sinapismos ad collum, vel etiam per vesicatoria, vel per emplastra pustulas formantia: — sunt etiam, uti CANSTATT et RIJLAND, qui fomenta

frigida suadeant Porro derivantia etiam conducunt, uti sunt sinapismi ad suras, et pediluvia irritantia.

Curatio praeterea differt pro caussis; si nempe aeger sit plethoricus, v. c. post haemorrhagias suppressas, in congestione et hyperaemia caussa mali sit quaerenda, tunc venaesectio valde convenit. Si vero ex anaemia, uti post profusas haemorrhagias vel apud aegrotos debiles et nervosos, originem duxerit, valde conveniunt medicamenta tonica et roborantia, uti subcarb. Ferri, et usus aquarum martialium, uti aquae Pyrmontanae, Drieburgensis, taliumque: — tunc etiam domicilium ruri et in regione amoena commendandum est: diaeta simul bona sit et nutriens: — et cum hac curationis methodo per aliquod tempus continueatur, ne recidiva exoriat. Si morbus sit periodicus, forsitan sulphas Chinini juvare posset.

Interdum dyspnoea et suffocationis periculum adeo vehemens fieri potest, ut doct. ALBERS medicus Bonnensis tamquam ultimum remedium tracheotomiam proposuerit; et profecto semel illam operationem in tali aegrotata fuisse iusti-

tutam . supra monui ; verum , cutis tantummodo incisione factâ , dyspnoea et suffocationis periculum statim cessaverant ; tam ex irritatione systematis nervei cutanei , ut mihi videtur , quam ex stimulo mentali vel animi pathemate : — etiam doct. RYLAND tracheotomiam numquam posse fieri necessariam judicat , quia tunc semel quidem vera suffocatio debuisset esse observata.

Aphonia , quae non raro diu remanet post talem Neurosin laryngis , a variis Medicis diverso modo tractata est. Sic RYLAND narrat , casus exstare , in quibus post usum Emetici vox redierat. Alii iterum Galvanismum et Electricitatem commendârunt , nempe in illa specie quae relaxationem musculorum laryngis causam habet proximam : tunc tale fluidum juxta decursum nervi laryngei superioris et inferioris debet conduci : — interdum hoc tentatum fuit sine effectu , aliquando tamen , ut dicunt , cum bono successu.

Doct. BRADERSON (1) contra aphoniam hystericam laudat usum internum Nitratis Argenti ;

(1) Conf. FROBIEP's *Neue Notizen*, Jahrgang 1844, April—Juni, Band 30, pag. 144.

et perhibet, se talem casum intra breve tempus hujus medicamenti ope sanavisse, dato gr. $\frac{1}{8}$ illius remedii pro dosi omni bihorio.

Doct. SEIDEL (1) Medicus Vratislaviensis, casum talis aphoniae periodicae narrat, in quo murias Zinci in Aeth. muriat. alcoh. solutus, optime egerat.

Non rari tamen etiam exstant casus, quorum sanationem, aliquando quidem inopinato, post menses imo annos sola natura perficiebat: cl. DE LA FAILLE nobis narravit, se pluries illud vidisse, nuper adhuc in ancilla, quae per duos annos plenarie fuerat aphonica: in initio omnia fere sed frustra adhibuerat et fecerat, tandem illa seposuit, nihil ulterius fecit nec abstinuit, et post 2 annos subito recuperavit vocem.

Finem huic Specimini imponere nequeo, quin Professoribus Clarissimis, qui in hac Academia mihi disciplinarum monstraverunt

(1) Vide SCHMIDT's *Jahrb.*, Jahrgang 1842, Band 35, pag. 179.

viam, gratias agam quam maximas. Accipiatis ergo, Viri Clarissimi, Praeceptores aestumatis-
 simi! quos, cum in disciplinis Mathematicis
 Physicisque, — tum in iis, quae ad Medici-
 nam viam sternunt, et in ipsa arte salutari,
 duces habui praestantissimos, — sinceram animi
 testificationem pro consiliis, institutione et tot
 benevolentiae erga me testimoniis. Ut D. O.
 M. vos omnes, Viri clarissimi! diu servet in-
 columes, in patriae gloriam, Medicinae decus,
 humanitatis salutem, ex imo pectore precor!

Inter illos inprimis tibi, Promotor aestuma-
 tissime, Clarissime DE LA FAILLE! me obstric-
 tum sentio, qui, praeter alia benevolentiae
 amicitiaeque testimonia, etiam in conscribendo
 hoc Specimine auxilium mihi numquam dene-
 gasti!

Hac etiam opportunitate utar, ut Vobis
 valedicam, Commilitones conjunctissimi! prae-
 sertim qui per vitae Academicae curriculum
 amici mihi integerrimi fuistis, quorum memo-
 ria semper mihi grata erit. Vivite felices,
 semperque mei memores! Valeatis!

THESES.

I.

Muriatē protoxydi Hydrargyri mutari, ut LIBBIG voluit, in humano ventriculo in Muriatē deutoxydi Hydrargyri, valde est improbabile.

II.

Gonorrhoea ideo sanatur usu balsami Copaivae, quod urina, elementis imbuta balsami hujus efficacibus, in contactum venit cum membrana mucosa urethrali.

III.

Naturam morbi Brightii esse, uti CANSTAT voluit, dyscrasiam sanguinis, non tam probabile videtur, quam quod sit affectio renum primaria.

IV.

Duodenitis non raro est causa Icteri.

V.

Ad diagnosis Pneumoniae confirmandam, praeter criteria ex auscultatione et percussione, aliud adhuc exstat, quod nempe sputa ejecta continent coagula sic dicta bronchialia.

THESES.

VI.

Causam Asthmatis convulsivi adultorum, minime constare in paralytica nervi vagi affectione, satis constat.

VII.

Certum non exstat signum, quod fibrae musculares in cellulis aëriferis pulmonum adsunt. Ex quo sequitur, theoriam BERGSONII (Das Krampfhaftes Asthma der Erwachsenen) de natura Asthmatis convulsivi adultorum, etiam pro parte non esse probatam.

VIII.

Inter Scrofulosin et Tuberculosin nullum intercedere discrimen, statuo.

IX.

Praesentia fibrarum elasticarum in sputis ejectis probat, vomitum pulmonum adesse.

X.

Ex sputorum investigatione Phthisin laryngeam, aut cum vomica pulmonum combinatam, aut solam, dignoscere possumus.

XI.

Scabie sanata, non raro oriuntur hujus morbi recidivae, etiamsi contagio se non exposuerit aeger. Attamen tales recidivae

minime probant, Acarum non esse morbi causam.

XII.

Licet crystalli ex Phosphate Ammoniae et Magnesiae, inveniantur in faecibus aegrotorum, qui Typho abdominali laborant, tamen illorum praesentiam esse signum pathognomicum hujus morbi, uti nonnulli voverunt. non est probabile.

XIII.

In Podagra repellentia quaevis externa nocent.

XIV.

Praesentiam membranae Kysteine dictae, minime esse signum graviditatis, satis constat.

XV.

Multa symptomata, quae vulgo habentur propria Ophthalmiis sic dictis specificis, non haberi merentur symptomata diagnostica harum inflammationum specificarum.

XVI.

Divisio Coarthrocacis in stadia inflammationis, prolongationis et abbreviationis sive luxationis spontaneae, minime valet.